


Kem 254
(1-19)



DISSE⁽¹⁾
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

ATROPHIA INFANTVM.

QVAM

ANNVENTE GRATIOSO ORDINE MEDICO,
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, ETC.

PRO

GRADV DOCTORIS

AC

SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS,

SOLEMNITER CONSEQ VENDIS,

DIE XXIX. APRIL MDCCCLXXXVI.

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR


CAROLVS SIGISMUNDVS GOTTLLOB KNOTHE

SPROTTAV - SILESIVS.

HALAE,

LITTERIS MICHAELIS.







PROOEMIUM.

De specimine inaugurali cogitanti mihi, licet varia sese tractanda praebarent, tamen hoc de *atrophia* argumentum praeserendum esse duxi, tum quod hunc morbum sub auspiciis *Illustris ac Venerandi Praeceptoris, gravissimique Praefidis* saepius observare mihi contigit, tum quia tanta huius mali frequentia repetitam eius tractationem excusare videbatur. Non autem nova atque inaudita habeo, quae proferam; id modo agere studui, ut, quantum per temporis ac spatii limites liceret, ea conferrem, ac eligerem, quae de hoc morbo, medici auctores praeceperunt, scriptisque reliquerunt. Huius meminerit velim lector, de hoc libello academico judicaturus.

A

DE

DE
ATROPHIA INFANTUM.

§. I.

De defectu nutritionis aucturo, pauca praemittere liceat, de *nutritione*, quae fani hominis est. Quemadmodum enim ex linea recta quaevis ab ea aberratio determinatur, ita ex fani hominis conditione perspecta, eius a sanitate recessus intelligitur.

Non diu potest sine nutrimento homo vivere sanus. Quamvis enim singula exstant exempla hominum, qui plures menses ipsosqne annos, sine ullo fere nutrimento vitam conservarunt; tamen nemo unquam fuit, qui tali in statu sanitatem usus fuerit ea, quam *integralm* vocant physiologi. Differat autem oportet, nutrimentum, quod bonum esto, pro hominis aetate, constitutione, vitae genere aliisque conditionibus, quae licet vario modo ad morbos disponant, per se tamen cum sanitate possunt constare. Nemo enim aegrum pronunciat infante, cuius ventriculus ferre non potest adultus robustus, corpus vehementissime exercens.

§. II.

§. II.

Quocunque autem nutrimentum, simulatque ori ingeritur, varias subit mutationes a masticatione, agitatione linguae, admistione salivae, deglutitione, eamque excipiente actione ventriculi, eius humorum affusione, aliarumque functionum conspiratione, quae coniunctim id agunt, ut nutrimenta conterantur, emolliantur, solvantur, variamque experiantur miscelam. Ex ventriculo ad intestina progressus chymus admistione bilis, succi pancreatici, liquoris intestinalis, actione intestinalium reliquorumque virium, denuo matatur, ulterius solvitur, tandemque a crudioribus, insolubilibus, succus ille lacteus separatur, qui per vascula minima sanguini advehitur, succus nutritius ali quando futurus.

Facile autem intelligitur, totam hanc operationem, variis modis differre oportere, pro hominis robore, vi nervea, musculari, pro humorum admiscendorum copia, inopia, mixtione, activitate, ita, ut ex his conditionibus praeter naturam se habentibus, innumeris fere modis, digestio chylique praeparatio laedi possit.

§. III.

Tali modo sanguini instillatum chylum, nondum esse ad generationem succi nutritii aptum, sed variis particulis alienis peregrinis adhuc scatere,

A 2

appa-

apparet ex conditione humorum, post chyli in sanguinem transitum, excretorum horum praecipue, qui sunt magis aquosi, et copiosius perque breviorem viam, e sanguine eliminantur. Ita notum est, urinam redolere asparagum commestum, plantas nasturcinas seu antiscorbuticas, multaque alia, quae licet minus sint ab auctoribus commemorata, non tamen possunt ab attento observatore non detegi. Pari modo materia, quae per cutim spirat, ingestorum indolem recipit, ut alliaceorum, aliorumque quorum partes volatiles, notabilius nares feriunt. Neque dubium est, quin plures partes alienae, minus in sensus incidentes, continuo per varia colatoria egerantur, talique modo massa humorum sensim a peregrinis liberetur, et purus corporique conveniens succus nutritius generetur.

Colligere ex dictis licet, ea omnia, quae aut particularum peregrinarum, ex humoribus expulsionem impedian, aut easdem sanguini ingerant, massam humorum vario modo esse inquinatura, bonique succi nutritii, generationi obfutura.

Neque minus nutritionem laedere oportet ea, quae chylo in sanguinem transitum prohibent, aut eum, postquam vix transit, totum fere ex massa humorum per varias excretiones expellunt prius, quam possunt particulae nutrientes e reliquis separari.

§. IV.

§. IV.

Mitto reliquam nutritionis historiam, cum haec, quae retuli, sufficiant ad intelligendum varium modum, quo nutritionis defectum induci posse commemorant. Concipi nempe primo potest nutritionis laesio ex eo, quod boni chyli in sanguinem transitus impediatur; deinde vero, etiam ipsa massa humorum ita mutari potest, ut non possit bonus succus nutritius generari; tandem autem, ipsa chyli praeternaturali excretione, materia nutriens corpori potest subduci. Piores duo casus, ita distinxit *Celeb. Selle* a), ut ex laesa chylificatione ortum nutritionis defectum *tabem* vel *atrophiam* b); ex humorum vero praeter naturam mutatione deficientem nutritionem, ubi humores boni, febre fuerint consumpti, *hecticam*, ubi iidem autem materia quadam ulcerosa fuerint corrupti, *phthisin* appellaverit. Posterioris casus, non deesse exempla videntur; possitne enim hoc referri diabetis aliqua species? —

§. V.

Veniendum nunc est, ad nostrum morbum, *Aerophiam*, quam *infantum* dicunt, quoniam his est maxime familiaris. Definiunt autem eum, per tabem cum inflatione (intumescentia) abdominis

A 3

a) *Medic. clinic. Berl. 1781.* pag. 267. seq.

b) Sunt qui tabem ab atrophia vario modo distinguunt.
Vid. *CULLEN Synops: nosolog. methodic.*

nis. Hoc morbo correpti infantes antea hilares, sanissimi, alacres, sensim languescunt, tristes fiunt, morosi, in iracundiam proclives, ad rerum omnium, quas alias in deliciis habebant, pertaesit, tardi, segnes, stupidi, debilesque, ita, ut nec pedibus insistere, nec obambulare possint.

Abdomen tumidum est atque inflatum sensim que durum tangitur, ac nodosum. Ex clamoribus noscuntur tornina ac dolores, quos praecipue circa umbilicum sentiunt.

Reliquum corpus cum extremitatibus emaciatum appetet; facies pallida, tumidula, praecipue circa labia, cum temporis progressu difformis, Hippocratica; interdum ob interceptum circuitum, per vasa abdominalis, rubore superfusa, uti observare licuit, in puella curae meae tradita, caeterum emaciata.

Musculi flaccidi sunt, ac rugosi, quod praecipue observare est, in glutaeis osque femoris investientibus.

Interdum, tumores scrophulosi circa collum morbi naturam manifestant, quemadmodum etiam aliis in partibus, glandulae congregatae intumesce-re observantur.

Oculi, pristino nitore orbati, motum exercent languidum, lachrymosi sunt, albuginea caerulescente livido colore tincta est. Nec raro alii accedunt oculorum affectus, auriumque manationes.

Ca-

Capilli rari sunt, tenues, ad apices sinduntur,
crispantur, tandemque defluunt.

Cutis praesertim in dorso rigida, aspera quasi
pilosa, a protruso glandularum cutanearum humo-
re inspissato, ab aliis pro pilis, ab aliis pro vermi-
bus habito, unde ab his *comedonum* c) ab illis *Cri-
nonum* d) nomine insignitur.

Appetitus vagus est, ac deprauatus. Modo
enim insignis voracitas adeat, et appetentia cibo-
rum praecipue duriorum, ut cafei, panis durioris,
pulmentorum, aversatio mollium, jusculturumque;
modo omnem fere cibum abhorrent, ut vix vi-
deatur vitam sustentare posse. Frigida magis, quam
calida desiderant. Sitis initio vix ulla, progressu
vero morbi maxima, noctu praecipue ac matutino
tempore urgens.

Somnus inquietus, inconstans, pavoribus in-
terruptus. Sudor frequens nocturnus.

Alvina excretio mox languet, mox solutior
est; accedit interdum diarrhoea mucida, chylosa,
lienterica, ac teste *Storchio* excrementsa assumto-
rum copiam superant.

Urina albida, turbulenta, crassa, chylosa min-
gitur.

Ubi

c) Vid. *Ettmuelleri* opera T. II. p. 1212.

Theod. *Zwing.* Theatr. prax. med. pag. 341. sub arti-
culo Dracunculi.

Amannus in paraenesi p. 150 et alii.

d) Conf. *Gregor. Horstii* oper. med. T. II. lib. 4. pag. 254.

Ubi denique malum altas jam egerit radices,
febris accedit lenta, he^tica, cum sudoribus colli-
quantibus, siti ardentissima, racchitis, mors.

Morbus ad annum et ultra protrahitur, et pri-
mo maxime septennio afficit, licet interdum etiam
in aetate magis proiecta observetur.

§. VI.

Sectiones post mortem institutae, multa pre-
bent testimonia, variae laesionis viscerum abdomi-
nium, uti sunt: indurations, concretiones,
agglutinationes, steatomata, exulcerationes me-
senterii, hepatis, lienis, magnitudines viscerum
enormes, pluraque ab Hardero *e*), Theoph. Bon-
netto *f*), Cornel. Stalp. van der Wiel *g*), Joh.
Kaempfio h) aliisque enumerata.

§. VII.

Infantum atrophia satis facile ab aliis consum-
ptionibus discernitur. Ut enim omittam eas, quae
ab ipsa febre qualicunque inducuntur, quas hecti-
cas vocant, aut a puris resorptione ortum trahunt,
phthi-

e) In apiario Observ. 48.

f) In Sepulchret. T. III. pag. 169.

g) Observat. rarior. Cent. I. Observ. 63. p. 271 seq.

h) Abhandlung von einer neuen Methode die hartnäckigsten
Krankheiten, die ihren Sitz im Unterleibe haben, sicher und
gründlich zu heilen. Dessau und Leipzig 1784. 8. pag. 89.

— 9 —

phthises propriè dictas; pauca tantum de reliquis addenda sunt. Differt nempe a phthisi dicta *nervosa* seu *cachectica*, quae summa debilitate nervorum reliquarumque functionum et habitu corporis tumidulo stipatur; a *tabe dorsali*, ex seminis profusione producta; a *racchitide*, morbi nostri potius sequela, suis signis facile distinguenda. Neque facile aliquis atrophiam cum marasmus, aridura, aliisque aetatum provectorum consumptionibus confundet.

§. VIII.

Caussam hujus morbi praecipue in abdomen eiusque viscerum laesia functionibus quaerendam esse, et tota suadet morbi historia, et praecipue abdominalis ipsius affectio, tumor nempe praeter-naturalis et inaequalitas. Ut vero eo melius ob oculos ponere possim caussarum, quae atrophiam inferre observatae sunt, varietates inter se nexas, et ad morbum ipsum relationes, ab iis, quae propiores sunt, ad remotiores descendere vixum est.

Proximam igitur morbi caussam sifit, imbeditus boni chyli in sanguinem transitus. Potest autem ille boni chyli transitus vario modo impediri. Nempe primo laedi potest ipsa chyli sinceri præparatio; Deinde præparatus chylus in primis viis potest corrumpi, consumi, aut ante transitum in vasa lactea, expelli; Tandem etiam ipsa ad massam humorum via, chylo potest præcludi. De singulis, singulatim agam.

B

§. IX.



§. IX.

Boni chyli praeparatio impeditur, ex digestio-
nis laesione, ad quam plura sunt in ipsa huius aeta-
tis natura, quae corpus infantis disponant. Ob-
strueturam enim laxiorem tenerioremve facilius
possunt a ciborum maiori quantitate distendi ven-
triculus atque intestina, eorumque hinc diverso
modo laedi functiones. Accedit ad haec, liquido-
rum degerentium, ut liquoris gastrici, enterici,
pancreatici, ipsiusque bilis in hac aetate obvia, ma-
ior inefficacitas, ira, ut, quae ex nimia ventriculi et
intestinorum distensione illata sit noxa, non aequa
facile ac in adulto, possit earum actione averti.
Hinc Celeb. Schulzius i) „Nescio sane, inquit,
„annon jure animum ad bilem convertere hic
„deceat. Illius certe in chylificatione laudabili
„partes sunt maximi momenti, vixque dubium es-
„se potest, quin pinguibus et aquosis, pro con-
„iunctionis medio, absolute opus sit, illius admis-
„niculo. Si itaque minus illa sit efficax, aut mi-
„nor quam decebat quantitate accedat, ut stabi-
„lem coniunctionem efficere valeat, superficiaria
„quidem illa fiet.“ — Multo autem magis haec
omnia contingere oportet, ubi illa laxitas atque
imbecillitas maior est, quam per sanum infantis sta-
tum esse deberet; ubi infans fuerit a parentibus va-
letudinarii progenitus; ex matre natus hysterica;
aut

i) In Dissertat. de Atrophia. Hal. 1735. pag. 19.

— II —

aut ubi illa graviditatis tempore, frequentiora diaetae vitia admiserit; ubi infans fuerit mollius educatus, potulentorum tepidorum ac regiminis calidioris abusu, debilitatus, aut incongruo nimiove medicamentorum usu digestionis vis fracta, et quae huius generis sunt reliqua.

¶ X.

Perfectissima vero licet infantis fruatur sanitatem, potest tamen illa multis modis, per potentias nocentes turbari atque everti; quanto magis, ubi praeter naturale, corpori iam inest, semen. Quorsum quidem pertinet, lac nutricis valetudinariae, animi pathematibus subjectae, vario morbo obnoxiae ^{k)}. Innumeris enim documentis confirmantur, subitaneae laetis ex animi commotione morbove corruptiones, eiusque in corpus infantis nocivi effectus. Oportet autem inde maxime primas vias, eorumque functiones affligi, cum in has lac suetum maxime agat immediate; neque fieri potest, quin ex eo digestio chylique praeparatio praecipue perturbetur. Huius porro loci sunt, cibi aut nimia copia ingesti, aut crudi, duri, tenaces, ut carnes praecipue induratae, pisces siccati sale conditi, caseosa, oleosa, leguminosa, pultacea, farinosa, placentae pingues, panis recens et alii, qui nec a sanissimo infantis ventriculo solvi, subigi ac digeri

B 2 pos-

^{k)} Conf. Selle Med. clinic. pag. 269.

possunt, ex quibus hanc ob caussam chylus praeparatur aut nullus, aut crassus, crudus, viscidus, multisque impuritatibus impregnatus.

Huc deinde pertinent ea, ex quorum defectu aut inepta administratione, coctio chylique praeparatio minus perfecte succedit. Inferri huc potest impeditus motus voluntarius, qui licet in infantibus non sit tantus, quantus est in adultis, aliquis tamen est, maiorque futurus esset, nisi ex perverfa educandi ratione, infantes ab omni fere motus voluntarii exercitio saepe prohiberentur. Quantum autem ad promovendam digestionem faciat corporis exercitium, non opus est, ut fusius exponam. Neque hic silentio praetereundus est, damnosus ille fasciarum ac thoracum usus, quo non solum libero membrorum exercitio privantur infantes, sed eorum etiam abdomen ita comprimitur, ut eius viscerum functiones inde vario modo violentur ¹⁾.

§. XI.

Sunt autem adhuc aliae caussae, quae licet in copia a selectu nutrimentorum non peccetur, tamen chylo possunt corruptionem inferre. Cuius census praesertim esse ea videntur, quae cutem ita affi-

1) Conf. Zueckert Unterricht vor Eltern zur diätetischen Pflege ihrer Säuglinge Berl. 1765. p. 28 seq. Rosenstein von den Kinder-Krankheiten. p. 17. Götting. 1774. Plattenri Dissert. de Thoracibus Lips. 1735. §. V.

afficiunt, ut materia per eam, secundum naturam excernenda, retineatur, vel acrimonia ad cutem deposita, reprimatur, vel varia impura resorpta, humorum massae ingerantur. Quemadmodum enim, ut supra retuli, ad boni chyli succique nutritii productionem requiritur, ut particulae pegrinae, per cutem eliminentur, ita ex earum, propter suppressam respirationem, retentione, oportet massam humorum inquinari, idque eo magis, ubi simul impura reprimantur, aut resorbeantur. Accedit ad haec, quod ex sanguine particulis impuris acribusque repleto, non possint sani sincerique humores secerni; valebit hoc igitur etiam de liquidis, digestioni ac chylificationi inservientibus, quae propter mixtionem corruptam, corrumpent etiam chylum, ex sanissimo licet nutrimento generatum. Hac ex ratione nocere observantur, refrigeria corpori praecipue exaestuato admissa, quae subito suppressunt excretionem cutaneam, materiae per ipsum velociorem sanguinis motum magis resolutae, corruptae; quorum referunt, potionem frigidam nocturnam, admissionem aëris frigidi ad corpus post somnum sudore madidam, aliaque similia. Nocet porro aér calidior, humidus, impurus, qui cutem relaxat, eius functionem turbat, impurorum resorptioni fauet. Simili modo, immundities fordesque cutaneae, ex incuria nutricum, affligunt. Tandem varia exanthemata retropulsa, aut male tractata, his tenellis plurimam noxam inferunt,

ferunt, uti sunt, scabies, tinea, achores, crusta
laetea ^{m)}, aliaque.

§. XII.

Huius etiam loci, vermes esse videntur, in canale cibario hospitantes. Praeter enim id, quod vario modo intestina afficiant, eorumque functiones turbant, praecipue primas vias inquinant, cruditatibus viscidis replent, eoque chylum corrumpunt. Creduntur etiam eo nocere, quod magnam chyli boni partem attrahendo corpori, cui inhabitant, nutritionem subtrahant; unde mirum non est, vermes ad praecipuas atrophiae nostrae, caussas fuisse relatos.

§. XIII.

Restant caussae, quae chyli ad sanguinem transitum impediunt ipsum. Qui quidem dupli prae-
cipue ratione videtur, posse impediri. Nempe pri-
mo, chylus mutationes contrahere praeter naturales
potest, ob quas aegrius, per canales vasorum lacteo-
rum, glandularumque lymphaticarum movetur; de-
inde vero etiam, hi ipsi canales possunt vario modo
obstrui, constringi atque imbecilles reddi.

Ad chyli mutatam naturam, spectat eius tenaci-
tas, visciditas, cuius iam supra retuli caussas; neque
nihil huc facere videntur, quae chylum coagulant,
spissant,

^{m)} Vid. Cl. Carl. Strack Abhandlung von den Greysam der
Kinder. Erstl. am Main 1779. 8.

spissant, uti sunt potus ac cibi acidi, austeri, spirituosi; facile enim intelligitur, talem chylum vix posse a canalibus adeo arctis, irritabilibus recipi, et per eos rite propelli.

Ipsorum autem canalium, chylum ad sanguinem vehentium, coarctatio a variis caussis producitur. Quorsum primo loco referenda esse videtur, dispositio serophulosa, quae praesertim sylphema vasorum lymphaticorum, glandularumque conglobatarum infestat, in eoque obstructiones producit. Cuius quidem acrimoniae natura, quamquam nondum satis cognita atque perspecta medicis sit, tamen plura ⁿ⁾ peculiarem eius indolem evincunt; atque hanc acrimoniam interdum esse posse haereditariam vel congenitam, non potest videri absorum consideranti, totum morborum ab ea productorum decursum, atque id, quod vario respectu connexa sit, cum racchitide, cui has determinaciones competere verisimile est ^{o)}.

Praeterea autem, non dubium est, hanc acrimoniam posse ab aliis caussis inferri, quarum ad morbum ipsum relationem, futurae forsan observationes magis determinabunt.

Possunt vero et alia has obstructions inferre. Ubi nempe chylus viscidus, spissus, continuo per minima haec vascula, eorumque varios anfractus vehitur,

ⁿ⁾ Conf. Selle, l. c. pag. 204 seq.

^{o)} Conf. Selle, l. c. pag. 208.

vehitur, sensim oportet, eundem lentius moveri, stagnare, partesque tenaciores relinquere, quae magis magisque totam canalium cavitatem delebunt, eorum parietes distendent, talique modo harum partium intumescentias atque obstructiones generabunt. Idem agere videntur, quae vascula illa minima constringere valent, qualia sunt acida, austera, spirituosa. Tandem hoc referendus est, quem plures medici accusarunt, usus vasorum stonneorum et praecipue plumbeorum. „Quum enim, inquit, Celeb. Schulzius p) in Germania stannum omne, ex quo vasa fiunt, adiectum plumbeum habeat, quam facile ab acescente potu in iis assertato, tantum solvetur, quanto opus est, ut natura tam teneri corpusculi inde laedatur, — et paullo post: „Sed non in hoc solum subsistit error, verum etiam elegantior stanni species elaborari coepit, ab Anglis, ni fallor, inventa, apud quos Racchitis etiam primum audita et observata est. In hoc per se satis innoxio metallo, colliquatur regulis antimonii, et orichalcum, et ne orichalcum aut cuprum nitorem corrumpet, illius dealbandi caussa arsenicum additur.„

§. XIV.

Has, quas retuli caussas, raro singulas affligere, sed plerumque sese excipere, varioque modo esse inter

p) l. c. pag. 27.

inter se nexas, facile intelligitur, ex arcto, quod functionibus corporis vivi intererit, vinculo. Quemadmodum enim, verbi cauſa, impedita cutanea perspiratio laedere potest digestionem, indeque pendentem chyli præparationem; ita versa vice, secundum quotidianam experientiam laesa primarum viarum functio, suppressare excretionem per cutem potest, eoque novam generare morbi cauſam. Et sicut praeternaturalis corporis debilitas ad hunc morbum magis disponit, ita ex cauſis occasionalibus illatam valetudinem oportet, hanc ipsam dispositionem producere aut augere. Hac ex ratione difficile saepe est, de prima morbi origine judicium, raroque potest medicus, malo medellam adhibitus, ad singulas eius cauſas respicere, sed totum potius debet statum morbosum aggredi, pro eo, ac vel has vel illas functiones magis affici observavit.

¶. XV.

Prognosis, differt pro morbi gradu, duratione, cauſis etc. Generatim enim oportet malum eo difficultius esse sublatu, quo altiores jam egit radices; potest autem tanto maiora cepisse incrementa, quanto diutius aegrum afflit. Quos vero morbus fecerit progressus, cognoscitur ex functionibus magis minusve laefis, ex earum maiori minorive numero affecto, ex virium maiori minorive jactura, ex habitu corporis plus minusve extenuati, alis-

C que

que, quae singulis in casibus plerumque satis facile
se offerunt, quae autem hic omnia enarrare, ni-
mis longum esset. Prae reliquis autem, respectus
habendus est caussarum, quae morbum produ-
xerunt.

Itaque aegrius tollitur atrophia, ubi praeter-
naturalis subest debilitas, quam quae in corpore
antea sano exoritur, nisi forte potentiae nocentes
nimium sint actione diversae. Intelligitur hoc, ex
cognita aegri, ante morbum, constitutione, ex cauf-
sarum admissarum maiore minoreve nocendi poten-
tia, aliisque.

Ex lacte nutricis pravo exortum malum ar-
guunt, habitus nutricis valetudinarius, laetis con-
ditiones praeter naturales, laesae digestionis signa,
ut ructus frequentes acidi, vomitus, alvus modo
laxior, modo obstructa. Ex similibus fere intelli-
gitur nutrimentum, aut copia, aut conditione noci-
vum. Caeteris autem paribus levior est morbus,
ab his caussis inductus.

Gravior plerumque est, qui ex cutis vitiis,
laesisque functionibus prima duxit rudimenta. Sae-
pe etiam aegrius cognoscitur, ob adstantium incu-
riam aut ignorantiam.

Vermes ex suis signis cognoscuntur, qualia
sunt: addephagia, abdomen inflatum, dolores cir-
ca umbilicum morsicantes, tormina ventris, pru-
ritus narium, tumor oedematosus circa nares et os,
color

color generarum pallidus, circulus liuidus circa oculos, caerulescens albugineae color, pruritus in intestino recto reliqua q).

Per se vix periculum habet, et morbus cuius praecipuam caussam constituunt, sublata caussa, plerumque satis facile tollitur.

Nunquam levis est, atrophia ex obstructione vasorum minimorum et glandularum conglobatarum. Maior tamen curationis spes affulget, ubi obstratio tantum est, in tunica villosa intestinorum et prima vasorum lacteorum origine; abdomen quidem tumet, sed aquabiliter tamen, febris levissima est, vel nulla; et ubi abdomen inaequaliter tumet, nodique protuberantes, duriores tactu percipiuntur, ad ipsas glandulas obstructionem progressam, malumque magis inveteratum esse, concludere oportet.

Pessima autem videtur glandularum obstratio ea, quae dispositioni scrophulosae debetur, aegre enim haec tollitur, nec tutum adhuc ars huic morbo invenit remedium. Eam autem corpori inesse, tum arguas, cum in prima morbi origine praeter glandulas abdominales, simul in aliis corporis partibus tumere videas, glandulas conglobatas. Quibus ubi accedat in infantibus inflammatio oculorum, facile recurrens, labii superioris aliqua in-

C 2

tume-

q) Conf. Frid. Hoffm. med. rat. *supplementa* p. 81 seq.

tumescentia, exanthema herpeti simile, tanto certius poteris, de mali naturae pronunciare r.)

§. XVI.

Curatio morbi absolvitur, sublata ejus cauſſa proxima. Tollitur autem cauſſa proxima, sublatis cauſſis remotis, quae illam constituunt. Cum vero cauſſae remotae, modo adeo lateant, ut vix possint a medico detegi, modo vix possint a suis effectibus distingui, cum productus effectus denuo saepe, tanquam cauſſa agat, novasque effectus inducat: raro potest medicus, in casu dato, ad singulas cauſſas attendere, sed plerumque totum statum morbosum aggreditur, et pro eo, atque has vel illas functiones magis praeter naturam laefas esse, observat, medendi rationem instituit. Haec est ratio, quod in enumerandis medicamentis non eum ordinem sequi visum fit, secundum quem, cauſſae fuerunt dispositae; sed eorum dispositio directa sit, secundum functionum laefiones, hoc in morbo maxime observatas.

§. XVII.

Conditiones in atrophia praeter naturam se habentes, hae fere sunt notabiliores: primo varia vitia ex laesione viscerum abdominalium, ut sordes primarum viarum, crudae, tenaces viscidae,
cor-

r) Conf. Selle l. c. pag. 217.

corruptae, stagnationes, infarctus, vermes etc. status morbos, aut causae aut effectus: deinde obstrukiones vasorum laetorum, glandularum mefaricarum, totiusque systematis lymphatici: porro varii cutis affectus ex eius vario modo laefis functionibus: tandem totius corporis debilitas, quae generando morbo, vel ansam praebuit vel ab eo fuit illata.

Oportet igitur, his positis, hunc morbum medicaturum, cruda coquere, tenacia solvere, diluere viscida, stagnantia movere, eliminare corrupta, nociva, praeternaturalia: porro resolvare in systemate lymphatico obstructa: postea cutis tollere vitia: denique vires restaurare, corpus robore. Quemadmodum autem medicus non semper potest, singulas caussas removere, ita applicatio remediorum non semper fit eo ordine, quem hic consecutus sum, sed saepe resolventibus jungantur evacuantia, aut his robarantia admiscentur, saepe si opus est, praemittantur.

§. XVIII.

Primarum viarum viscerumque abdominis enumerata vitta corruguntur, primo remotis caussis, quae illa inferre posse, supra commemoratae fuerunt, nempe lac morbosum, nutrimenta nimia, incongrua, abdominis compressiones violentae, aer impurus, calidus, humidus, reliqua. His igitur

C 3

tur

tur substituenda diaeta congrua, victus facilis digestu, aer purus, motus corporis, frictiones etc. Deinde hoc pertinent, quae malum iam generatum tollunt. Efficitur hoc, per medicamenta resolutiva, incidentia, digestiva, evacuantia, quorum plurima simul in iis glandularum obstructionibus adhibentur, quae ex similibus caussis productae fuerunt. Cuius loci sunt, salia media; Tartarus Vitriolatus, Sal mirabile Glauberi, Sal Sedlizense, Sal Seignette, tartarus tartarisatus, et quae saponacea est, terra foliata tartari, praecipue in forma fluida adhibenda. Terra foliatae Tarraci, pro pauperibus commode substitui potest, acetum sale tartari saturatum. His addunt rhabarbarum, eiusque tinturas, in saburra acida aut viscidiore, cum sale tartari miscendas; amaricantia saponacea, ut: extractum taraxaci, cichorei, fumariae, eorumque decocta. Spectant hoc porro gum-resinae; ammoniacum, Galbanum, bdellium et aliae. Neque hic praetermittendus est mercurius dulcis, cuius magnam his in affectibus efficacitatem plurimae observationes confirmarunt¹⁾). Nec minorem laudem merentur antimonium, eiusque praeparata, ut tartarus emeticus, vinum emeticum in refractis

prae-

1) Mercurium dulcem solutum, exhibendi rationem vid. apud Cel. Theden. Neue Beobachtungen zur Bereitung der Wundarzney- und Arzneygelahrheit. Berl. 1782.
1 Thl. pag. 153.

praebiis, sulphur antimonii auratum tertiae praecipitationis, ac terra foliata tartari antimoniatⁱ). Commendarunt etiam extractum Cicutae, radicem rubiae tinctorum, et nuper Ononidem spinosam. Praecipue autem aetivam se praestitit Arnica, cuius in resolvendis, cuiuscunque fere generis obstructi-
nibus, efficacitas plurimis experimentis fuit comprobata ⁱⁱ).

Praeter medicamenta interna, quae per os corpori ingeruntur, magnam utilitatem promittunt, quia in partem affectam magis agere possunt immediate, enemata, eo modo adhibita, ut nuper fuerunt a Cel. Kaempfio ⁱⁱⁱ) descripta, atque commendata. Pariter Herba Tussilaginis, usu se se commendavit.

Tandem huc etiam faciunt balnea, de quibus in sequentibus; nec non unguenta emollientia et nervina.

Vermes in canali intestinalium hospitantes, suis remediis necantur, atque expelluntur.

§. XIX.

ⁱ) Cf. Dissert. Cl. Paulizky de sulphuris antimonii aurati extractione, respectu terrae foliatae tartari inde oriundae optima. Hal. 1774. Et Dissert. Cl. Lehmann, de Terra foliata tartari antimoniat^a, eiusque viribus medicis. Hal. 1778.

ⁱⁱ) Vid. Acta Berol. D. II. Vol. IV. p. 92. It. Dissertat. Buech-
neri de genuinis principiis et effect. arnicae. Erf. 1741.

ⁱⁱⁱ) Vid. eius librum supra citatum.

D

§. XIX.

Vasorum lacteorum glandularumque conglobatarum obstrukiones, quae ex impuritatibus crudis, viscidis oriuntur, iisdem fere remediis, quibus earum caussae tolluntur. Quae autem ab acrimonia scrophulosa originem ducunt, methodo tractandae sunt, huic morbo opposita. Medicamenta in hoc malo hucusque probata, sunt cicuta et mercurius, cuius unam partem cum duabus antimonii crudi partibus misceri vult Cel. Selle x). Sed secundius mercurio, continuato ad tempus usu, III. Praeses substituit aethiopem mineralem, interposito interdum pulvere laxante. His jungenda sunt roborantia, diaeta scrupulosa, motus corporis, usus aquae marinae, variaque alia praesidia.

§. XX.

Cutis vitia, ex laesis eius functionibus illata corriguntur, balneis aut frigidiusculis aut tepidis, in quibus saponacea soluta, aut aromatica, roborantia, resolventia decocta fuerunt; frictionibus, motu aut vectione in aere puro, sereno, etiam frigidiusculo.

Ubi exanthemata repulsa sunt, ea, si fieri potest, revocanda, frictionibus, epispasticis aliisque convenientibus; sin autem id obtineri nequeat,

in

x) 1 e. p. 206.

in morbi curatione, respectus habendus est methodi,
alias in talibus affectibus adhiberi solitae.

§. XXI.

Supersunt roborantia, partim reliquis medicamentis interponenda, partim post malum sublatum adhibenda. Huc spectat Cortex Peruvianus, chalybs, eiusque varia praeparata, amara, aromatica, nervina, carminativa, vinosa. Laudantur a quibusdam glandes quercinae; aliis aquae Pyrmon-tanae, profuerunt.

Neque hic negligenda conveniens diaeta, nutrientia, corporis exercitium, frictiones, aër fri-gidior, balnea frigida.



Haben sie sich auf der Erde gesetzet
und sind fröhlich und froh zu derselben.

XVII.

Wolken sind die Mutter, Gebärerin und Vorrat,
die Erde ist der Sohn, der Sproß und der Nachwuchs.
Die Erde ist das Land, das Land ist die Erde,
der Himmel ist der Himmel, der Himmel ist der Himmel.
Die Erde ist die Mutter, die Mutter ist die Erde,
der Himmel ist der Vater, der Vater ist der Himmel.

PICA 6078

DISSE^TRAT^IO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
ATROPHIA INFANTVM.

QVAM
ANNVENTE GRATIOSO ORDINE MEDICO,
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE
DOMINI
D. PHILIPPO ADOLPHE

FACVLTATIS MEDICAE

PRO
GRADV DO

AC
SVMMIS IN ARTE SALV
ET PRIVILEGIIS DO

SOLEMNITER CON
DIE XXIX. APRIL M

H. L. Q. C

PVBLINE DEF

AVCTOR

CAROLVS SIGISMUNDVS
SPROTTAV - SIL

HALAE

LITTERIS MI

